



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap.. VI. De Sapientia.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

ETHICÆ LIBER VI. 61

Aristoteles quidem hanc docuit; veruntamen aliorum philosophorum sententia eam respuere videtur.

Quinam hoc demonstrabis?

A communi usu bene philosophantium, qui indifferenter in eadem significatione tum artis tum scientiæ, itemque doctrinæ vocabulo utuntur.

Plenius quaeso hoc ipsum declares?

Cicero Scientiam definit comprehensivam rerum stabilem atq; immutabilem. Quibus verbis propemodum ars quoque definitur, ordinatio rerum necessariarum hominibusque utilium. Unde Cicero ibidem ait, Artem nullam esse posse sine scientia. Omnis theoria nimirum habet suam aliquam praxin, & vicissim praxis qualibet requirit contemplationem.

*In quest.
Academ.*

C A P. VI.

De Sapientia.

Quanam sunt virtutes intellectiva rerum agendarum propria?

Sapientia & Prudentia.

Sapientia qualis virtus est?

Est scientia intelligentiaq; rerum omnium quæ sunt in honore & pretio.

Cicero: Sapientia est rerum divinarum humanarumque, & earum quibus res istæ continentur scientia.

Quem igitur vere sapientem dicis?

Qui res universas aliis neglectis probe contem-
templatur: ut omnium rationes reddere possit.

CAP. VII.

De Prudentia.

Quid est Prudentia?

Ἔστιν ἕξις δι' ἧς μετὰ λόγον προακλικῶς, καὶ πρὸ ἀντι-
πρῶν ἀγαθὰ βουλεύεται: Est habitus verus cum ratio-
ne agens, quæ vitæ hominum conducunt vel
obstant.

Unde Periclem prudentem dicunt, quod
suæ utilitati consulere potuerit.

Quinam igitur rectè dicuntur prudentes?

Qui consilium in iis capere possunt, quæ
re sua sunt, & omnino ad bene vivendi ratio-
nem pertinent. Discernuntur igitur à sapien-
tibus, qui plurima quidem novisse student:
sed rebus ac rationibus tum suis, tum aliorum
minus rectè prospiciunt.

Quotuplex est prudentia?

Duplex: Altera propriè προνοια, qua unus-
quisq; sibi suisque rebus prospicit: Altera ci-
vilis scientia, πολιτικὴ dicitur.

Prudentia civilis quomodo subdividitur?

In νομοθετικῶν: id est, legum ferendarum ra-
tionem; & in προακλικῶν βασιλευσικῶν, cujus ratio-
ne opus est in agendo, & exsequendis iis, quæ
lex iusserit: hæc in singulis rebus spectatur, il-
la in universalibus. Nam & leges sunt univer-
sales.